

est sane magna utriusque codicis in versibus prioribus 295. similitudo; reliquis enim nunc caret Mediceus. Huius Veneti codicis collationem Parisiis a se factam Bekkerus misit Hermanno, qui in Agamemnone et Prometheo hac nota *Bess.* eum ab aliis distinxit: in Persis et Septem adversus Thebas *Ven. A.* vocavit.

Ab his libris, qui quantum continent de fabulis Oresteae et Supplicibus, id a Mediceo codice profectum esse partim certum, partim probabile est, generis a Mediceo libro diversi communione tres distant codices.

*Ven.* (sive *Ven. 3.* sive *Ven. B.*). Codex bibliothecae Venetae s. Marci 616. sive XCI. 5. membraneus, saeculi, ut dicitur, tertii decimi. Continet Sophoclis tragoedias, Aeschyli autem Prometheum, Septem adversus Thebas, Persas, Agamemnonem, Eumenides, sed has postremas duas fabulas non integras. Nam folium huius libri 109. finitur versu Agamemnonis 45. qui hic est, *στόλον ἀργείων χιλιονάυταν*, proximum autem folium 110. his verbis ita scriptis incipit, *μαρτυροῖσι μὲν γὰρ τοῖςδε πεπείθομαι*, qui versus est Hermannianae editionis 1054. Itaque quae inter hos duos versus exciderunt, periisse videntur foliorum multorum amissione et integer olim fuisse in hoc codice Agamemno. Sed Eumenides descriptae sunt ex libro non integro. Nam post hunc versum ita scriptum, *ὅπως ἐπίστα τήνδε κύρωσον δίχην*, qui versus 571. est, statim sequitur, nullis amissis foliis, versus 636. *πέδας μὲν ἂν λύσειεν. ἔστι τοῦδ' ἄχος*. Tum haec verba versus 782. *νυκτὸς ἀτιμοπενθεῖς* statim hic excipit versus, qui 810. est, *οὐκ ἔστ' ἀτιμοί, μηδ' ὑπερθύμως ἄγαν*. Priore loco suspiceris in eo libro ex quo Venetus codex deductus est unum periisse folium: alterius detrimenti haec causa fuisse videtur, quod aberratum erat a strophae fine ad eadem in fine antistrophicorum versuum verba. Collatione huius codicis ab Iacobo Morellio facta in Agamemnone usus est Blomfieldius eiusque beneficio in Eumenidibus Linwoodius. Excusserunt eum etiam Franzius et in usum Hermanni diligentissime Bekkerus. Venetum (*Ven.*) dixit Hermannus in Agamemnone et Eumenidibus, *Ven. 3.* in Prometheo, *Ven. B.* in Persis et Septem adversus Thebas.

*Flor.* Codex Florentinus bibliothecae Laurentianae plutei XXXI. 8. Chartaceus est, scriptus saeculo quarto decimo. Eas-